Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 241

Quelle:
Copyright:

non adſignatur, *Ezechiel* Tomum V. f. auſpicatur.

CLVII.

R. 3314 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 323. f. maj. charactere craſſo, atro per duas ſaepe ſubdiviſas columnas multis vocum compendiis ſcriptus, coloribusque diſtinctus hoc Rubro gaudet: *Incipiunt gloſe ſuper vnum ex quatuor magiſtri petri cantoris Pariſienſis.* Praefatio init: *Quatuor facies vni erant. Sicut trinitas perſonarum vnitati diuine eſſencie non preiudicat. ſic nec quaternarius ewangeliorum unitati eorum* &c. Magis infra conſilium ſuum explicat Autor: *Horum auctoritate roborati IIII. ewangelia in vnum compacta in vnum propter commodum auditorum et temporis breuitatem exponere proponimus.* Atque id ita exequitur, ut rerum geſtarum ſeriem ſecutus initio ab *Johanne* ducto per *Lucam* et *Matthaeum* ad *Marcum* pertingat, Textus evangelici particulis litera grandi ubique inſertis, ut adeo, quod jam ſupra innui, in una pagina tres, quin quatuor columnae paſſim occurrant. Vaſtum et egregium hoc Opus mirum quam latuerit Literatores, qui vix tribus verbis ejus meminere. Ad *Trithemii* manus non pervenerat. *Lelongius* in priore *Syllabo* Scriptorum biblicorum duos ejus Codices *mſſ.* ſub nomine *Petri de Rems* memorat; in poſteriore vero numerat inter deperdita. *Oudinus* T. II. *col.* 1665. Codices *Oxonienſem*, *Cluniac.* et *Cantabrig.* citat. Primam porro ejus mentionem fieri puto in *Chronico Alberici* Ciſt. *trium Fontium* Monachi, qui poſt a. 1246. claruit, in *Acceſſ. Hiſt.* ab *Leibnitio* 1698. *Hanov.* editis T. II. p. 411. 4. ubi ad a. 1197. de Noſtro: *Cantor Pariſienſis Magiſter Petrus Doctor Theologus religione et honeſtis moribus famoſus et clarus apud Abbatiam Longipontis obiit. Hujus habentur libri multi — Unum ex quatuor innovatum* &c. Dixit *innovatum*, quod jam alii ante illum το δια τεσσαρων ſcripſere. Induit vero *Petrus* monachum *Longipontanum*, ut Epiſcopatum *Tornacenſem* effugeret. *Rhemenſem* fuiſſe non puto. Confuderit illum *Lelongius* cum *Petro de Riga*, et in univerſum proclive eſt, turbari aliquid inter plures *Petros* συγχρονους, qui et Galli et Scriptores fuiſſent, puta Noſtrum, *Riganum*, *Abailardum*, *Pictavienſem*, *Comeſtorem*, *Bleſenſem*, *Lombardum*, ceteros. Extrema Operis nunquam typis procuſi ſunt: *Hanc ultimam proceſſionem* (aſcenſionem ad coelum) *poſt ihesum repreſentat eccleſia in dominicis diebus. Cetera require in fine hyſtoriarum.* Nempe evangelicarum. Accedit Clauſula: *Expliciunt gloſe IIII. ewangeliorum collecte et excepte cum labore ſuper vnum ex IIII. ſecundum Petrum Cantorem Pariſien.* et ab alia manu Adplauſus Librario: